



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,  
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo  
Ecclesiastico**


**Bellegambe, François**

**Coloniæ Agrippinæ, 1700**

Præfatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42093**

P R Æ F A T I O.



LECTORI

Propriæ salutis & alienæ

STUDIOSO.

**H**Abes, Lector benevole, in hoc Manuali, quidquid de Jubilæo Ecclesiastico, ad Theologicam praxim attinens, scire optaveris, in tuum Proximorumque commodum; studiosè collectum ex probatis Authoribus sanè diligenter lectis & expensis. Quorum quidem alii brevius de illo scripsère, diffusius alii; nonnulli velut obiter, sparsim plures, variis Tractatibus discretisque Voluminibus, ut, De Sacramento Pœnitentiæ, De Peccatis, De Censuris, De Voto, De Indulgentiis, De Bullâ Cruciatâ, &c. adeò ut non nisi magno temporis & laboris impendio, practi-

P. R. Æ. E. A. T. I. O.

practica Jubilæi notitia, ex illis, acquiri possit.

Ea propter, cum plura jam haberem, quæ, partim publicè docendo, partim domi multis abhinc annis Quæstiones Conscientiæ explanando, annotaveram; videremque, cum Jubilæum, sive ordinarium anno vicessimo quinto recurreret, sive extraordinarium ex liberali benignitate, gravibus de causis, concederet Supremus Christi Vicarius; plura enasci dubia, quibus examinandis & solvendis, cum ob alia impedimenta, tum maxime ob concursum Pœnitentium, multum temporis non suppeteret: existimaui, futurum è bono tuo aliorumque, quibus Animarum directio commissa est, si Compendium concinnarem, quod omnia, de quibus quæri potest & disputari ad praxim, breviter, clarè, solidè, pulchròque ordine digesta exponeret, facilèque circumferri, nec magno pretio comparari posset.

Atque

P R E F A T I O.

Atque in id sedulo incubui constantique studio: utque nihil desideraretur, tres in Partes Opusculum distinxī. Prima agit *De Jubilæo Ecclesiastico in genere*: Altera *De Jubilæo ordinario, seu Anni Sancti*, quod quidem non longè distat: Postrema *De extraordinario*, quod frequentissimum est, atque adeò copiosius examinandum.

Cogitâram primùm citandis saltem locis, unde resolutiones deprompsi, abstinere, imò eas simpliciter, neque ratione firmatas, proponere, quò brevior foret Synopsis: at animum subiit, id plerisque non facturum satis, qui & Responsorum firmitatem à ratione & autoritate optarent, ad solvendas, quæ occurrerent, difficultates; vellentque ad ipsos interdum Authores, velut ad fontes, recurrere, examinandis fusiùs Quæsitis & Responsis. Laudo igitur Authores: loca indico; suggero nec semel quò adire possis hauriendæ causâ majoris notitiæ.

Si.

P R Æ F A T I O.

Si præstitutam mihi hoc Enchiri-  
dio finem consecutus ero, tuam, mi  
Lector, & aliorum utilitatem, ad ma-  
jus Dei obsequium. directam, Supe-  
ris, quibus totum me debeo, tanquam  
vitæ studiorumque meorum Præsidi-  
bus ac Patronis, gratulabor. Utere  
igitur feliciter hac qualicumque o-  
pellâ: &, ut æternos Jubilææ Indul-  
gentiæ, Gaudii & Benedictionis an-  
nos, per Dei gratiam, consequar, pre-  
ces sæpius pro me funde, idem repen-  
suro, ut & tu æternùm exultes

*Domino, Jubiles Deo salutari  
nostro. Pf. 94.*



INDEX